DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ

V. In nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti.

R. **Amen.**

R. **Benedic mihi pater, quia peccavi.**

V. Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti.

R. **Amen.**

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et tibi, pater, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Accusatio peccatorum. (Acusación de los pecados)

- *Me confesé hace... (días, semanas, meses)*
- *(Enumerar los pecados)*
- *Me acuso de todos estos pecados, así como de todos aquellos de mi vida pasada; y pido a Dios el perdón, y a Vd. Padre penitencia y absolución.*

IDEO precor beátam Maríam simper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, pater, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Exortatio sacerdoti et impositio penitentiae

(Exhortación del sacerdote e imposición de la penitencia)

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

INDULGENTIAM, absolutiónem et remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens, et miséricors Dóminus. Amen

DOMINUS noster Jesus Christus te absólvat : et ego auctoritáte ipsíus te absólvo ab omni vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis,) et interdícti, in quantum possum, et tu índiges.

DEINDE ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti.

R. Amen.

PASSIO Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis, et ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris, et mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augméntum grátiæ, et præmium vitæ ætérnæ. R. Amen.

V. Vade in pace, (et ora pro me).

R. **Deo gratias.**

Parte que recita la persona que se acerca a confesar